



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 84. Cardinales de Synodi promulgatione a Polonis facta per Papam edocti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI. „que me omnino obstrictum censeo, ut
 A.C. 1564. „hujus Concilii decreta recipiam, cum-
 „ctisque ejus Sanctionibus, ut par est,
 „morem geram. „

His dictis Pro - Cancellarius pro more juxta Regis sententiam Commendano respondit: Rex vero ad summum Pontificem literas dedit, quibus Synodum cum summa submissione esse receptam significabat. Data est hæc Regis epistola die decima octava Augusti.

L. XXXIV.

*Cardinales de Synodi promulgatione
 a Polonis facta per Papam
 edocti.*

*Raynald.
 num. 45.*

Faustum hoc nuntium summus Pontifex in Patrum Senatu die sexta Octobris habito eisdem annuntiabat, eis hæc exponens: „Poloniæ Rex in „quodam suorum Ordinum conventu „imo etiam coram Senatoribus hæreticis Concilii Tridentini acta ipsi per nostrum Nuntium delata acceptavit, pollicitusque fuit, se toto studio curaturum, ut hæ sanctiones in Universo suo Regno executioni mandentur: in super idem Rex plura condidit decreta contra hæreticos, qui novos errores ubique spargebant, præcipue vero persequitur exteros, quos omnes suo Regno exulare jussit. „ Hasce literas

teras Gonzaga Cardinalis ex Presbyteris postremus, cum nullus e Cardinalibus Diaconis tunc adesset, in Patrum Senatu prælegit, ubi etiam summus Pontifex hunc Regem summis laudibus vel eo nomine honorabat, eo quod idem, quamvis ejus Regnum hæreticis undique repletum esset, cuncta tamen concilia, quæ ipsi humana prudentia ad conciliandos eorum animos suggerere poterat, contempserit, plurisque habuerit Concilii Tridentini acceptationem, illiusque promulgationem: ea propter omnibus Cardinalibus, qui variorum regnorum Protectores erant, in mandatis dedit Pontifex, ut cunctos alios Principes datis ad eos literis hortarentur, atque eis præclarum hoc Poloniæ Regis exemplum proponerent, & ad æquale Religionis studium animarent. Ceterum hujus Regis edictum de exteris hæreticis Regno expellendis datum est die septima Mensis Augusti. (*)

Sæcul. XVI.

A. C. 1564.

§. LXXXV.

Varicæ Pontificis Bullæ pro disciplina.

T 5

His

(*) Constat igitur, quod Tridentina Synodus exceptis Gallis, ab omnibus aliis fuerit recepta, ac alicubi promptiorem promulgationem duntaxat hæretici retardaverint.